



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente
XI. editas

Luxemburgi, 1739

V. Contra abusus in Provincia Portugalliæ catorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](#)

Constitutio
Clem. IX.Ab Alex. VII.
§. 36. prohibi-
tum fue-
rat, ne ullus
non profes-
sus eligeret-
tur Abbas
Generalis.Hæc prohibi-
tio extensa
fuit a Capi-
culo 1667.
etiam ad Ab-
bates eligen-
dos.Id ipsum fa-
ctum fuit a
Clem. IX.

gnoscuntur, quo solidius perennant, cum id a nobis petitur, Apostolici munimini nostri praefidio constabiliamus.

§. 1. Alias siquidem emanarunt a fel. re. Clemente PP. IX. prædecessore nostro literæ in simili forma Brevis, tenoris qui sequitur, videlicet, Clemens PP. IX. Ad perpetuam rei memoriam. In sublimi Sedis Apostolicæ solio meritis licet imparibus divina dispositio constituti, prospera felicique Ordinum Monasticorum, qui Dei Ecclesiam laudabilis conversationis, alisque multiplicibus meritis exornant, statui, atque conservationi libenter consulimus, sicut in D. salubriter expedire arbitramur. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Cisterciens. quod cum fel. rec. Alexander Papa VII. prædecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis: Decet die 19. Aprilis 1666. super reformatione generali dicti Ordinis, emanata literas inter alia prohibuerit, ne ullus in posterum in Abbatem Generalem Ordinis prædicti eligeretur, qui eundem Ordinem non esset expressè profensus, & taliter facta elecio esset pro jure nulla, & sic eligentes poenam privationis vocis activæ, & passivæ in perpetuum eo ipso, absque alia declaratione incurrent: dilecti filii Abbates dicti Ordinis in ultimo eorum Capitulo Generali Cisterci 9. Maii 1667., & aliis diebus sequentibus celebrato congregati publico ejusdem Ordinis bono profutaram existimarent prohibitionis, & poenarum hujusmodi extensionem, ad alios quoquam Ordinis prædicti Religiosos, qui personas eundem Ordinem non professas in Abbates aliorum Monasteriorum ipsius Ordinis elegerint. Nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsius Procuratoris Generalis desiderio hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alisque Ecclesiastici Sententiis, Censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latissima, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censemtes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, ne ullus in posterum, qui Ordinem supradictum non sit expressè professus in Abbatem cuiuscumque Monasterii ejusdem Ordinis eligatur, alioquin taliter facta elecio si ipso jure nulla, & sic eligentes poenam privationis vocis activæ, & passivæ in perpetuum eo ipso absque alia declaratione incurrant, auctoritate Apostolica tenore præsentium prohibemus pariter, & interdicimus. Decernentes eadem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integrum effectus fortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in futurum inviolabiliter observari: sive in præmissis per quoquam Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palati Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis ha-

bentes, illis alias in suo robre permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat speciâliter, & expreſe derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constituta munitis eadem ubique fides adhibeatur, qua præsentibus adhibetur, si forent exhibita, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 7. Decembris 1668. Pontificatus nostri Anno Secundo.

I. G. Slusius.

ANNO
1689.Preces Pro-
curatoris
Gen.

§. 2. Cum autem, sicut dilectus filius Moderatus Procurator Generalis dicti Ordinis Cisterciens. nobis nuper exponi fecit, ipse præmissa quo firmius subsistant, & serventur exactius Apostolica confirmationis nostra patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsius Procuratoris Generalis votis, quantum cum Domino possumus hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latissima, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censemtes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliiter porrectis inclinati, præsertas supradicti Clementis prædecessoris literas, cum omnibus, & singulis in eis contentis, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolica firmatis robur adjicimus.

§. 3. Decernentes pariter eadem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integrum effectus fortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sive in præmissis per quoquam Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palati Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ memoratus Clemens prædecessor in suis literis præfatis concessit non obstante, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constituta munitis eadem ubique fides adhibeatur, qua præsentibus adhibetur, si forent exhibita, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXIII. Dec. MDCLXXXIX. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Confirmatio
relata Con-
stitutionis
Clementis
IX.

Clauſula.

V.

Confirmantur Literæ Magistri Gen. Ord. Prædicatorum, quibus tolluntur nonnulli abusus in Provincia Portugalliae.

De hujusmodi abusibus vide Inn. XI. Constitut. ed. 1677., Nov. 20., P. 2. Item Const. ed. 1677. Januar. 5., P. 2. Et Inn. XII. Const. ed. 1695. Septem. 22., P. 5.

A L E-

ANNO
1690.

Dat. 7. Jan.
1690. An. 1.

ALEXANDER OCTAVUS.

ANNO
1690.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Commissi Nobis divinitus pastoralis officii gratio exigit, ut paternam Christifidelium, qui e fluctibus saeculi in Religiosa vita portum configerunt curam gerentes, illa, quæ abusibus felici eorum directioni noxiis evelendis provide sapienterque constituta, & ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolata persistant, Apostolici munimis præsidio constabiliamus, & alias desuper disponamus, sicut omnibus matre perpensis in Domino conspicimus salubriter expedire.

Species facti
sequentibus
literis def-
cripi.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Montero Frater expresse professus, ac Procurator Provinciae Portugallie Ordinis Prædicatorum, quod cum alias de supplici quodam libello pro parte nonnullorum tunc existentium Fratrum Provinciarum præfata fel. rec. Innocentio PP. XI. prædecessori nostro porrecto, ipsi Innocentio prædecessori innotuerit, quod aliquibus dictæ Provinciae Fratribus concessum fuerat, ut Priviliegis Præsentatorum licet eo gradu juxta statuta, & confuetudines dicti Ordinis minime insigniti reperirentur, frui, & potiri deberent; necon pariter aliqui Fratres Laici, seu Conversi Provinciae præfatae obtinuerant, ut retento statu, & conditione laicali, habitu per Fratres Clericos Provinciarum, & Ordinis hujusmodi gestari solito induerentur, eoque induit indederent, ac præterea plures in eadem Provincia Fratres aderant, qui obtenta assignatione, seu collocatione in aliquo Conventu a Superioribus dicti Ordinis, eam auctoritate extra Ordinem præfatum, five etiam aliquando a tunc existentibus Magistris Generalibus ejusdem Ordinis confirmari obtinuerant, atque exinde ab eisdem Conventibus per Superiores Provinciales pro tempore existentes Provinciae hujusmodi amoveri minime posse præsumebant, idem Innocentius prædecessor abusibus in Regularis observantia Provinciae præfatae detrimentum vergentibus, occurrere studens dilecto filio Antonino Cloche Magistro Generali dicti Ordinis mandavit, ut concessiones, & facultates hujusmodi rescederent, ac circumscriberent, eaque omnia cujuscumque tandem auctoritate facta essent, nisi immediate ab Apostolica Sede concessa fuissent ad terminos Constitutionum, & Decretorum Capitulorum Generalium dicti Ordinis reduceret. Porro ipse Antoninus Magister Generalis quasdam patentes literas desuper edidit tenoris, qui sequitur, videlicet. In Deo filiis sibi dilectis RR. admodum PP. Provinciali, in Sacra Theologia Magistris, Prioribus, Præsentatis, Prædicatoribus Generalibus, aliisque Fratribus Provinciae nostra Portugallie Ordinis Fratrum Prædicatorum Fr. Antoninus Cloche Sacrae Theologie professor, ac ejusdem Ordinis humilis Magister Generalis, & servus salutem, & legum nostrarum zelum, Ordinisque nostri honorem, charismataque meliora. In his, quæ Religionis nostræ sunt Pastorali solicitudine pro sua in Nos, Ordinemque nostrum benignitate, clementia, & zelo invigilat SSmus D. N. Innocentius PP. XI. quippe, qui ob incrementum regularis observantiae plura sanctivit, iussit, & mandavit, quæ omnia filiali obedientia exequi debentes, cum ad suas aures per venerit nomine gravium Patrum Provinciae nostra Portugallie humili libello supplici suæ sanctitati porrecto, quod ea Provincia aliquibus ex Fratribus nostris concessum fuerit, ut privilegii Præsentatorum, licet eo gradu juxta normam, & proxim Ordinis insigniti non sint, potiantur, & gaudeant, aliique sint Fratres Laici, qui obti-

nuerunt, ut retento statu laicali habitu Clericorum Ordinis nostri induerentur, eoque vestiti incederent, imo plures sint ea in Provincia, qui obtenta assignatione pro aliquo Conventu a Superioribus Ordinis, eam auctoritate extra Ordinem, vel aliquando a Magistris Ordinis etiam a Nobis obtinuerunt, qua obtenta ab eisdem conventibus per Provinciales amoveri non posse præsumunt, & gloriantur, quibus malis, & Constitutionum nostrarum relaxationi, ut mederi possimus iustis nobis Sanctissimus, & in mandatis dedit, ut has concessions, facultates, abusus rescederemus, & circumscriberemus, eaque omnia cujuscumque sint auctoritate facta, nisi immediate a sua Sanctitate concessa fuerint ad terminos Constitutionum nostrarum, & Capitulorum Generalium sanctiones reduceremus. Quare harum serie, & auctoritate Apostolica Nobis hac in parte specialiter commissa, & iussu speciali Sanctissimi. D. N. declaramus quoscumque Fratres Provinciae nostra Portugallie, quibus a quocumque concessum est, etiam a Magistris Ordinis, & aliis cujuscumque sint dignitatis, & auctoritatis, ut privilegiis, & iuribus, præminentius, aliisque quibus Præsentati ea in Provincia, & Ordine nostro potiuntur, & gaudent, frui, potiri, & gaudere, etiam eo gradu Præsentaturæ secundum normam, & proxim Ordinis nostri insigniti non sunt, eosque omnes, & singulos reducimus, & redigimus ad eundem statum, & ad eadem Jura, & privilegia, qua ante talen concessionem habebant, five statum Sacerdotum simplicium, nisi alias juxta normam Ordinis aliquo gradu insigniti sint. Insuper eadem auctoritate Apostolica, & codem facio mandato Sanctissimi quoscumque Fratres Laicos, qui quacumque auctoritate, etiam Magistri Ordinis, vel alia quacumque retento statu Laicali habitum Clericorum deferrunt intra 24. horas a præsentium notitia habitum Clericorum dimittere teneantur, & habitum Fratrum Conversorum, publice, & ubique deferrant sub poenis Apostatis debitibus, & privationis suffragiorum Ordinis. Ceterum eadem auctoritate, & ejusdem Sanctissimi iussibus declaramus quoscumque assignationes Fratrum in Conventibus per quoscumque Superiores datas, & a quocumque alio quacumque auctoritate pollente aliam vim, aut robur habere non posse, quam simplicis assignationis, posseque Superiores Provinciarum pro tempore, non obstantibus hujusmodi assignationibus Fratres a suis Conventibus amovere, & in aliis assignare, & si qui sint renientes, eos, gradibus, officiis, voce activa, & passiva privatos esse dicimus, & penitus arbitrio Superiorum infligendis, rebelles illos Fratres subjicimus, siue omnes illas assignationes, ut præfertur, seu confirmationes ad terminos Constitutionum nostrarum, & Ordinum Capitulorum Generalium reducimus. Ut igitur Fratres nostri Provinciae nostra Portugallie mandatis, & iussibus Sanctissimi D. N. ut par est subsint, & pareant, mandamus in virtute Spiritus Sancti, & sanctæ Obedientiæ sub formali præcepto R. A. P. Ministro Provinciali moderno prænominate Provinciae, ut hæc mandata, & iussa Sanctissimi immediate a præsentium receptione in Conventu Ulyssiponensi, aut in Conventu in quo has receptorum omnibus Patribus, ac Fratribus in communione Capitulo significare, vel legere publice faciat, & successive in omnibus Conventibus curæ nostra subiectis, præcipientes omnibus, & singularis tam Capitibus, quam membris Conventuum sub eisdem virtute, & præcepto, & sub poenis privationis, vocis activæ, & passivæ, graduum, & officiorum, & inhabilitatis ad ipsa, aliisque poenis positivis, ut post præsentium intimidationem, & significationem, hæc omnia respective juxta Sanctissimi D. N. mandata exequi fideliter, & inviolabiliter faciant, injungentes

Litteræ Magi-
stri Ordin. in
quibus agi-
tur de Prä-
sentatorum
Privilegiis,
Laicorum
habitu, &
amortione Re-
ligiorum.

ANNO 8
1690.

ALEXANDER OCTAVUS.

ANNO
1690.

Superioribus Conventuum sub eisdem virtute, & præcepto, ut intra 24. horas post præsentium receptionem publice coram tota Communitate legere faciant, teneanturque modernus R. A. P. Provincialis de præsentium receptione, sub eisdem virtute, & præcepto, & pœnis nobis arbitriis debito tempore nos certiores facere, ut gestorum rationem reddere valeamus. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Quibuscumque in contrarium non obstantibus. In quorum fidem his offici nostri sigillo munitis manu propria subscriptimus. Datum Romæ in Conventu nostro Sanctæ Mariæ super Minervam die 19. Octobris 1687. Antoninus Cloche Magister Ordinis. Fr. Ignatius de Quassada Magister Provincialis Predicotorum Servus.

Preces Procuratoris Provincie.

Confirmatio relatarum Literarum.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, præfatus Procurator literas hujusmodi quippe ad conservandum, & solidandum in Provincia præfata Regularis disciplinæ vigorem eximie conducibiles pro firmiori illarum subsistentia, & ne unquam earum observantia sub quavis prætextu, titulo, & capite, etiam validitatem, & justitiam ipsarum literarum concernente in controversiam vocari possit, Apostolicæ confirmationis nostra patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsius Petri Procuratoris votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabili annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa lati, si quibus quomodolibet innodus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac Ven. Fratri nostro Palutio Episcopo Sabini, S. R. E. Cardinali de Alterius nuncupato Ordinis predicti apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectore auditio, præinseritas memorati Antonini Magistri Generalis literas cum omnibus, & singulis in eis contentis auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisq; inviolabilis Apostolicæ firmatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, etiam substantiales, si qui desuper quomodolibet intervenerint, seu interveniente dici, censeri, vel prætendi possent, supplemus, & sanamus.

§. 3. Decernentes ipsas præsentes literas firmas, validas, & efficaces exstere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiori, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: sive, & non aliter in præmissis per quoquaque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palati Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis nuncios, aliquos quilibet quacumque præminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuiilibet quavis alteri judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingit attentari.

§. 4. Quo circa Venerabili Fratri Francisco Archiepiscopo Rhodien, in Portugalliae, & Algarbiorum Regnij nostro, & Apostolicæ Sedis Nuntio per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel per alios ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte præfati Petri Prioris, seu aliorum interesse in præmissis habentium, seu aliquibus eorum desuper fuerit requisitus, easdem præsentes literas, & in eis contenta quacumque solemniter publicans, illisq; in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat auctoritate nostra illos omnes, & singulos

præsentium literarum, & in eis contentorum eorumdem commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere, non permittens illos desuper a quocumque quavis auctoritate quomodolibet indebit molestari, perturbari, vel inquietari. Contradictores quilibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliquae opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habent. servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac fel. rec. Bonifacii PP. VIII. prædecessoris pariter nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quatenus opus sit præfatorum Ordinis, & Provincie, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia robora statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robre permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derrogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constituta munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, que ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Roma apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die VII. Jan. MDCXC., Pontificatus nostri anno Primo.

Clausulæ.

Conceditur, ut Indulgentia Plen. perp. in Ecclesiis Minorum Conventualium die 2. Aug. applicari possit animabus Defunctorum.

Similis concessio facta fuit ab Inn. XI. Minoribus de Observ. & Reform. Conf. ed. 1687., Jan. 22. Pont. 2. Necnon Capucinis Conf. ed. 1689. Maij 10. Pont. 3. aliae Indulgentie Conventualium extant Inn. XI. Conf. ed. 1680. Aug. 26. Pont. 4. Et Iano. XII. Conf. ed. 1695. Aug. 18. Pont. 5.

ALEXANDER PAPA VIII.

Dat. 20. Jan.
1690. An. 1.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alias fel. rec. Clemens PP. X. prædecessor A noster omnibus, & singulis utriusque fexus Christifidelibus vere penitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum, tam nunc eritis, quam imposterum quandcumque erigendis & ubique locorum existentibus die 2. Mensis Augusti a primis vesperis, usque ad occasum solis diei hujusmodi annis singulis devote visitasset, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hereticorum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudisset, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Dominino concessit, & alias prout in ipsis Clementis prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 3. Octobris 1670. expeditis, quas perpe-

Prædicta Indulg. concessa fuit a Clem. X.

tuis